Tychsen
Inscript.
Arab
Hispan.

1831

De
12730

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000001

/1

Hildemeister
Bonn 1862.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000003

BIBLIOTHEK der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft.

Comment. recentior. vol. VII. 1828-32. J. 1822. 4

Aus GILDEMEISTER'S Vermächtniss.

DE INSCRIPTIONIBUS ARABICIS IN HISPANIA REPERTIS COMMENTATIO.

LECTA IN CONSESSU SOCIETATIS D. XII. NOVEMBRIS A. MDCCCXXI.

A

TH. CHR. TYCHSEN.

Nullam esse in Europa regionem, in qua tot extent tamque insignia Arabum monumenta, quam in Hispania, nota res est. Neque mirum, Arabes gentem medio quod dicimus aeuo literis et belli pacisque artibus inprimis excultam, in his terris, quas per septem secula imperio tenuerunt, sui vestigia reliquisse. Horum vtique multa victis pulsisque Arabibus ab incolis Christianis deleta aut corrupta, instigante odio religioso, quod Arabes, quos Mauros adpellant, pro gentilibus et infidelibus haberet. Singula tamen siue casu siue loco seruata a viris doctis in lucem protrahebantur et ab itinerum scriptoribus memorabantur. At multo magis illa innotuerunt nostro demum seculo e splendidissimis operibus Murphii Angli *) et Comitis de la Borde Galli **), quibus mirificae structurae palatiorum ac templorum, pontium, fontium, quae Cordubam Hispalim, Granatam olim ornabant, accurate et eleganter depictae exhibentur. Equidem multo prius in hoc argumento aliquid tentaueram. Quum enim vergente superiore seculo Augustissimi Danorum regis iussu S. R. Moldenhawero

*) Arabian antiquites in Spain. Lond. 1816. fol. max.

**) Voyage pittoresque et historique de l'Espagne.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000005

SS. theologiae Professori in literarum vniuersitate Hauniensi itineris literarum causa in Galliam, Hispaniam et Italiam instituti socius ac comes additus essem, mox vbi Matritum peruentum esset, arabicae dominationis vestigia rimari res ipsa inuitabat. Equidem numos inprimis et inscriptiones quaerendos esse censebam, idque facile persuasi itineris socio. Quum autem monumenta arabica in locis singulis adire, contemplari, delineare rationes nostrae non permitterent, compertum autem nobis esset, in penu literaria academiae historiarum Matritensi extare plura huius generis, collecta a viris doctis Hispanis, qui magnum opus: Antiquitates Hispaniae, tum parabant, precibus adiimus huius academiae praesidem comitem Campomanes, virum egregium et eruditum, libris editis clarum, adeoque literarum arabicarum peritum. Is autem gratum habens homines ex vltimo quasi septemtrione Hispaniam suam literarum causa inuisere, regi Carolo III. ita nos commendauit, vt in praesentiam regiam adductos ipse Rex non modo benigne exciperet, sed etiam verbis: *que se les franquee todo* omnia patere iuberet, quae in academiae historicae scriniis seruarentur. Vidimus ibi numorum copiam, a quibus tamen, quum iam aeri incisi essent cum titulorum explicatione a Casirio confecta, ab ipsa Academia euulgandi, plane abstinendum erat. Porro inscriptiones aliquot palatii arabici s. Alcazar Hispalensis similiter aere expressas, denique inscriptiones aliquot arabicas calamo aut penicillo delineatas. Has cum nondum explicatae essent, ipse, pingendi non plane imperitus, fideliter delineaui. Alias, a Francisco Xauerio Palomares, in arte scribendi celebri artifice, eleganter depictas donauit Vir ill. Franciscus Perez Bayer, studiorum nostrorum patronus insignis.

Iam haec qualiacunque orientis spolia Moldenhawerus apud se servabat per XXXVIII annos, nihil eorum publici iuris faciens, nec enim palaeographiae arabicae aut rei numariae Arabum studium singulare dicaverat. Tandem a. 1821 fortasse fatum praesentiens quo breui post occubuit, vir praestantissimus, mihi amicissimus, ad me transmisit mihique donauit, libero vsui permittens. Equidem non sine vario animi sensu contemplabar senex, quae iuuenis delineaueram, et apud me statui inscriptiones

istas haud parum obscuras et perplexas, si fieri possit, explicare et cum orbe erudito communicare, ne plane nullum extet itineris nostri Hispanici monumentum. Post varia tentamina nunc demum ex parte saltem successisse puto hos conatus, quos hic vobis exhibeo, Auditores, vestroque iudicio submitto. Quod prolixius haec commemoraui, de me plus iusto verba faciens, Vestra, A. A., venia mihi roganda est, sed haec ipsa excusationi mihi fore duco, quod tam sero 47 annis post iter Hispanicum haec promuntur.

Verum si sero haec prodeunt, non tamen nota et trita illa sunt et ab aliis tractata, sed adhuc plane incognita et noua. In splendido comitis La Borde libro, quem accurate perquisiui, nullum harum inscriptionum vestigium reperi. Inscriptiones exhibet ille, sed tales, quae ornamentorum loco habendae sunt, v. c. in palatio Hispalensi (Alcazar de Seuille). Murphii opus doleo in Bibliotheca vniuersitatis regia desiderari. Quum tamen etiam hic artis et architecturae Arabum monumenta exhibere voluerit, vix puto harum inscriptionum, quae partim in locis parum obuiis delitescunt, partim nullam artis commendationem habent, rationem habuisse. Et fac vnam et alteram inscriptionem apud Murphium reperiri, non tamen omnes, nec explicatas apud eum sisti pro certo habeo.

Inter plures, quae ad manus erant, inscriptiones sex delegi, quae aut historico momento commendantur, aut scripturae implicatae artificio, in quo sibi placent Arabes, scilicet

I. Abdorrahman II. princeps s. Chalipha Ommiadicus, testatur arcem Emeritae Augustae (Meridae) suo iussu exstructam et in feudum datam esse certis hominibus a. Heg. 220.

II. Praefectus Abdallah obsequium declarat erga Chalipham Abdorrahman III. a. 333.

III. Epitaphium Emiri Mohammed. s. l. et a.

IV. Inscriptio sepulcri Abdallae a. 437. a Fr. Palomares delineata.

V. Inscriptio Toletana, ornamento inseruiens, grandibus literis.

VI. Specimen similis inscriptionis e palatio regio Hispalensi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000007

I. Abdorrahman Emir h. e. Chalipha ex Ommiae genere Cordubensis, testatur castellum s. palatium suo iussu in vrbe Emerita Augusta exstructum esse idque in feudum accepisse Abdallam praefectum et Himarum architectum a. Heg. 220. Chr. 835.

bei Condé N. I
Souza - Sary Mém. d. l'Inst. II
Fehlpa Chron. d. 1792 p. 60

بسم الله الرحمن الرحيم (الرحيم) بركة من الله وغنيمة عظيم
لاهل طاعة الله امر ببنيان هذا الحصن واتخاذه
معقلا لاهل الطاعة الامير عبد الرحمن بن الحكم اعزه الله
علي يدي عامله عبد الله بن كليب بن بيليه وحمار بن مكسن
مولية من مليه صاحب البنيان في شهر ربيع الاخر من سنة عشرين ومايتين

h. e. 1. In nomine Dei miseratoris misericordis *a*) benedictio a Deo et
lin. 2. felicitas *b*) (sit). Populo qui Deo obsequitur. Iussit exstrui castellum *c*) (palatium)
et in feudum dari illud *d*)
3. mercedem tribuens *e*) populo obsequenti *f*) Emirus *g*) (princeps)
Abdorrahman filius Hakem *h*), quem Deus roboret *i*),
4. cura praefecti sui. Abdallah filii Colaib, filii Biliah (s. Nilüah) et
Himari filii Mocsen
5. ex Malia *k*) architecti *l*) mense Rabia altero anni ducentesimi vigesimi (p. Chr. 835. mense Aprili).

Ita cur legerim et interpretatus sim, rationes breuiter addo.

a) In lapide manifesto est ـم ne finali quidem forma, quod aut sculptoris aut scriptoris, qui ei ductus praeiuit, inscitiae tribuendum esse apparet. Sine dubio enim scribendum erat الرحيم.

b) غنيمة est felicitas a غَنِمَ felicitate quadam acquisiuit. Igitur *faustitas* fortasse potius vertendum vocabulo insolentiori.

c) Vocabulum, quod *castellum* verti, dubiae lectionis est. Si a cuspide literae, quam pro ـر male formato habui, paullum continues ductum, in orbem flectens, erit القصر palatium, quod malim, palatium enim potius in feudum dari poterat quam castellum, quod tuendae regionis causa conditur et praesidio regio munitur, cuius hic nulla mentio.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000008

d) اتّخاذ est ab اخذ inf. VIII. formae, quae vox inter alia de feudis quae quis accipit vsurpatur, et أُخَاذَة est feudum. Ante اتّخاذ supplendum est ب, pendet enim a praecedenti امر. Iussit princeps palatium exstructum in feudum accipere; siue, quod perinde est, pro feudo dedit.

e) معلا est ab علل in II. forma: praefecit prouinciae, mercedem dedit. Pro meritis aut fide in officio gratiam refert princeps.

f) Populus obsequens idem est quod supra: populus s. homines; nam اهل etiam de paucis vsurpatur, adeoque sunt *pii homines*, Moslemi. Caue ad principem referas; homines principi parentes. Hoc si voluisset auctor, dicendum erat لاهل طاعته.

g) In vocabulo امير vltima litera incerto et imperfecto ductu delineata. Videtur sculptor primo literam ر per errorem omisisse, vocem in merum apicem s. cornu terminans, deinde animaduerso errore sub linea addere voluisse.

h) Abderrahman hic, qui Emir (princeps) dicitur, qui palatia s. castella exstrui iubet et Moslemis suis remunerationis causa in feudum tribuit, vix alius haberi poterit, nisi Abderrahman II. Hacemi fil. Chalifa tunc Ommiadicus. Imperium enim tenuit ille ab a. Heg. 206. ad 238. Nec obstat quod non additur المومنين *fidelium;* hoc enim titulo Chaliphis proprio demum vsum esse constat Abderrahman III. sec. IV. Heg. medio. cf. Fraehn recensio numor. Muhamedanor. acad. Scient. Petropol. p. 1 ***. In hunc igitur principem, qui pluribus structuris Cordubam inprimis ornauit, omnia bene conueniunt. Sed haec vtut speciosa sint et probabilia, refellit additum parentis nomen بن الهكم —. Hacemus Abderrahmani pater حاكم scribitur, nec veri simile, scriptorem Arabem literas ح et ه sono diuersas permutasse aut ignorasse Chaliphae praecedentis nomen. Verum vt scriptorem, qui hanc inscriptionem consignauit, facile culpa libero, ita a sculptore scribendi imperito ه pro ح exaratum esse vix dubito. Hic enim plura imperitiae documenta in exarando hoc titulo dedit. م in رحمن plane informe literae د similior, de ر finali vocis امير male exarato supra dictum (not. *g*), in voce علي يدى — ي omissum; Iud et

Nun literas prorsus similes finxit; in voce من ملبه alterum م voci praecedenti superpositum. A sculptore adeo imperito haud alienum fuerit, si ه pro ـه scripserit. Accedit quod nomen الهكم nemo facile gerat, significat enim *malignum*, alienis rebus se immiscentem, nec puto in omni Arabum historia tale principis nomen reperiri. Caeterum sine ا scriptum esse Hacemi nomen, exemplo non caret. الحكم scripsit Abulfeda Annal. II. p. 138. lin. vlt.

i) عزّ latius patet, gloriam et potentiam inuoluens.

k) Malia quae vrbs sit, ignoro. Maltam, Meliten insulam cogitare vetat hoc, quod ea aliis literis مالطه scribitur.

l) صاحب البنيان verti: architecti, est enim Dominus s. auctor structurae. Hi duo Abdallah praefectus et Himar architectus in feudum accepisse putandi sunt palatium s. castellum recens exstructum. — Biliah Niliah s. Bilnana (varie enim legi potest) peregrinum nomen, fortasse Africanum.

Sic patere arbitror, lapidem hunc testari beneficium a principe Abdorrahman II. duobus subditis bene meritis tributum. Arcem istam Emeritae Augustae fuisse vix dubitandum, ibi enim lapis erutus. Est ille quadrata forma, vlnam longitudine, tres palmos latitudine explens, quinque digitos crassus. Quod edictum suum lapidi insculpi iussit princeps, est e more veterum populorum, qui non vt nos chartae impressa sed lapidi aut aeri insculpta proponebant, quae ad omnium notitiam peruenire vellent. Hunc morem apud Arabes in Hispania obtinuisse, praeter plura exempla in Palatio Hispalensi, etiam sequens inscriptio docet. Caeterum haec inscriptio est ex antiquissimis in Hispania repertis, vnde scripturae genus est simplicissimum, quale in numis seculi II. et III. Hegirae (Sec. 8. et 9. p. Chr.) cernitur; sed sculptoris inscitia in singulis literis haud parum peccatum esse, supra monui. Gratus addo, in hac inscriptione explicanda haud parum mihi profuisse Collegae coniunctissimi Ewald, quocum eam communicaueram, in acumenium inprimis in voce اتحاد quam verteram castellum et quae ad illud pertinent, ad احد referens; hic

vir doctissimus ab اخذ deducendum esse monuit, quo verus loci sensus patuit *).

II. Abdallah, praefectus Chaliphae Ommiadici Abderrahman, III. obsequium erga Chalipham declarat a. Heg. 333. Chr. 944. 5.

بسم الله الرحمن الرحيم	lin. 1
امرنا شاهدة سدّ عدة	2
للطاعة والمراد ب	3
عبد الله عبد الرحمان امير	4
المومنين ايده الله من مشقّة	5
علي بيّن قايده وعبده	6
عبد الرحمن بن حمد	7
بعون الله ونصره في	8
سنه ثلث وثلثين وثلث مايه	9
مذينه عبد الله بن ذانب	10

h. e. 1. In nomine Dei miseratoris misericordis.
2. Iussimus (statuimus) testimonium (declarationem) contra aduersarios
3. ad praestandum obsequium et bonam voluntatem erga
4. seruum Dei Abderrahman principem
5. fidelium quem Deus tueatur ab afflictione (aduersis)
6. manifesto (publice proponere) praefectus eius et seruus eius
7. Abdorrahman fil. Hammad
8. adiumento Dei et auxilio eius
9. anno trigesimo tertio et trecentesimo
10. Adornauit hoc Abdallah fil. Dsaneb.

*) Ferri possit ista interpretatio nec a loci contextu aliena est, sed cum nec adunare idem sit quod coniungere, nec de vsu formae VIII. hoc sensu constet, praeferenda est vtique altera.

Bibliothek der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft

Haec inscriptio ad primum adspectum difficilis lectu videtur propter literas crassas, angulatas et implexas. Est tamen illa multo magis dilucida ac distincta quam praecedens, quippe ab artifice perito confecta, qui nullas literas permutauit, sed suam cuique formam tribuit, praeterea ab ornamentis abstinuit, nisi quo ن finale flosculis exornauit, oculo haud ingratas. Ad singula verba pauca monenda sunt.

Lin. 2. permutato loco, scriptum شاهدة pro شهادة. سدّ scriptum pro ضدّا, ضدّه contrarius f. عدة pro عدّي hostes, aduersarii esse puto. Scilicet عداوة contracte عدة est hostilitas, inimicitia, contrarietas, adeoque opposita sententia. Lin. 3. ب in fine lineae ad vocem sequ. spectat. Videtur artifex a titulo et nomine Chaliphae lineam incipere voluisse, vt statim in oculos incurrat. Lin. 4. Abdalla non pro nomine proprio habendum, quod non habuit Abdorrahman III., sed seruum Dei notat, quod h. l. additum reuerentiae erga Chalipham caussa. Lin. 5. hic additur *fidelium*. Etenim Abdorrahman III., qui a. Heg. 300 – 350 regnauit, primus vsus est titulo Emir olmumenin, summam dignitatem apud Moslemos indicante, quem adhuc Chaliphae Bagdadenses s. Abbasidici sibi vindicabant. Lin. 6. عليّ بين iungendum cum امرنا شها ده lin. 2. statuimus declarationem publice proponere. — Caussam et occasionem eiusmodi declarationis aperit historia huius Chaliphae. Scilicet erant ea aetate in Hispania plures, qui Chaliphas Abbasidicos pro veris Muhammedis successoribus s. vicariis haberent, vnde turbae ciuiles sub hoc principe haud paucae, quas tamen ille prudentia et fortitudine vsus sedauit, per L. annos protrahens imperium. Inter has turbas Abdorrahman noster, praefectus, fidem et obsequium in principem publice testatur hac tabula. Aduersarii igitur, quibus eam opponit, hic sunt Abbasidicorum Chalipharum fautores. Notabile est in hac inscriptione, quod is, qui literas artificiose efformauit, siue scriptoris sit, siue lapidis sculptor, nomen suum apposuit, مذين scriptum esse pro مزيّن vix opus est monere.

III. Epitaphium principis Mohammed Emeritae Augustae s. Meridae repertum.

Memorabilis est haec inscriptio propter singularem literarum formam, quae saepe adeo distortae sunt, vt ad primum obtutum vix arabicae videantur, et putes studio ita formatas esse, ne cuiuis spectanti obuius esset sensus inscriptionis. Scilicet id secutus est artifex, vt singula verba quadrati figuram efficerent, quod vt fieret non modo literas rotundas aut inflexas angulis instruxit, vt م in prima voce قبر initio lin. 2. ر voce 3. 4., sed etiam, vt amant Arabes ornamentis omnem superficiem complere, pro flosculis figuras angulatas variae formae literis aut inseruit aut superposuit, alibi ductus plane superfluos literis addidit; inprimis vocabulum في adeo deformatum est, vt diuinari potius quam legi possit.

In hac rei difficultate veniam dabitis mihi, A. A., si in singulis erraverim. Lego autem ita:

بسم الله الرحمن الرحيم
قبر الامير محمد الله
يرحمه في يوم القيامة

In nomine Dei miseratoris misericordis
Sepulcrum principis Mohammed.
Misereatur eius Deus in die resurrectionis.

Quis fuerit hic Mohammed, deficiente et patris nomine et temporis notatione, quae ab inscriptionibus sepulcralibus raro abest, haud facile est statuere. Cum tamen امير princeps adpelletur, quem titulum etiam Chalipharum Bagdadensium filios principes gessisse constat *), videtur ille e regio genere ortus fuisse. Suspicor igitur Mohammedem nostrum esse filium Abdallae Chaliphae, qui a. Heg. 275-300. (888-912.) Cordubae regnauit. Hic filium Mohammedem Hispali vrbi praefecerat, ille autem adiunctis aliis seditiosis contra patrem rebellem se gessit, donec a fratre Mothrepho victus periit annum agens XXVII. a. 282. (Chr. 895.) **). Hoc si admittamus, omnia lucent in singulari hac inscriptione.

*) cf. Fraehn recens. numor. acad. scient. Petropol. p. 18. Abdulmelec fil. Iesidi Chaliphae, tum Aegypto praefectus, a Heg. 133. Aminus p. 4 ** N. 258. a. 194. Mamunus N. 260. 263. Cod. a.

**) vid. Abubecr. ibn Abar Sec. 13. scriptorem ap. Casiri bibl. arab. Escur. II. p. 34.

Primum quod non additum est parentis nomen, quippe rebellis fuerat contra patrem; deinde quod informi et quasi arcana scriptura exarata est, in qua vix ipsum titulum et nomen principis agnoscas, denique cur absit temporis nota. Neque enim puto, mutilatum esse lapidem, cuius rei nec notitiam reperi nec in delineatione vestigium apparet. Equidem putauerim, a cognato aliquo, aut partibus dedito pietatis causa sepulcro impositam fuisse, vt simplicissimam ita breuissimam vt aliqua supersit infortunati principis memoria. Quum Meridae erutus sit hic lapis, vix dubitandum in hac vrbe ipsum interiisse.

IV. Epitaphium Abdallae f. Mohammed, in vrbe Pax augusta (Badajoz) a. Heg. 437. (Chr. 1045.)

Haec inscriptio vt scripturae elegantia ita loco notabilis est. Est in hac vrbe vetustum templum siue sacellum, quod Calatraba adpellant. Nulla tamen ordinis equestris quondam celeberrimi insignia aut arma ibi apparent *), vt vix videatur ad hunc ordinem olim pertinuisse. In hoc sacello porta visitur nunc obstructa, per quam aditus erat ad gradus, quibus in turrim ascendebant. Iam super hac porta extat haec inscriptio, marmori candido literis extantibus eleganter insculpta. Putes nomen ad ordinem equestrem plane non spectare, sed castellum arabicum esse a Christianis in ecclesiam conuersum seruato antiquo nomine arabico, quod arcem indicat قلعة رباح arx lucri, obscura nominis originatione. Idem nomen gerit vrbs cum coenobio in Castellae nouae regno, quae, quondam arx valida, a Sanctio III. Arabibus erepta, sedes ordinis equestris Calatraba facta est. Nostrum Calatraba longe dissitum ad Extremaduram pertinet, nec, praeter nomen, quidquam cum ista Castellae vrbe habet commune.

Inscriptionem ipsam ita lego:

lin. 1 بسم الله الرحمن الرحيم هاذا (هذا f.[1]) قبر المامون[2] عبد الله بن[3] محمد بن

2 مشليه رحمه[4] الله ويرحم[5] من دعا[6] له لدعاه مات ليلة لليلا[7]

*) Testatur hoc adscripta nota Francisci Palomares, qui inscriptionem in ipso loco delineauit.

lin. 3 لا حدا [8] عشره لل [9] بقيت لجمادي الاخره شنه سبع

4 وثلثين واربع مايه ولبوم لقاء [10] من في دلبن

Verto: In nomine Dei etc. hoc est sepulcrum fidelis (pii) Abdallah filii Muhammedis, filii lin. 2. Maschliah, cuius Deus misereatur et miserebitur omnis qui orat pro ipso in oratione sua. mortuus est *a*) nocte (die) .... lin. 3. vndecima *b*) residua (mensis) Gjomadi posterioris *c*) anno lin. 4. trigesimo septimo et quadringentesimo, et diem *d*) iudicii quis *e*) nouit.

Quum in hac inscriptione ornamentis et flosculis passim additis, atque insolitis literarum formis et iuncturis, haud paucis locis lectio incerta reddatur, primo loco de lectione pauca monenda sunt, de qua nisi constet, fluctuat interpretatio. Igitur lin. prima 1) incertum vtrum legendum هاذا an هذا, vtrumque bonum est, cum tamen artifex figuram, quae post ه sequitur, aliquando meri ornatus caussa interponat, vt in voce رحمه lin. 2., etiam hic pro ornamento habeo, vt sit solita forma هذا.

2) المامون lego, quia nullum vocabulum ad sensum aptius succurrit, Eliph literam paullum inflexit artifex, vt sequentis literae rotunditati conueniret; infra lin. 2. (6) multo magis flexum recurrit.

4. 5) non pro litera ا habenda, sed pro ornamento, quod passim interposuit sculptor.

3) Nomen hoc frequentissimum adeo insolitis ductibus scriptum, vt ambigam, an recte legerim aut potius بن احمد (Ahmedis filius) legendum. Istud tamen praetuli propter م bis scriptum.

5) in دعا mira licentia non tantum ع formatum, sed etiam cum د coniunctum est. Simili licentia ا vocis sequentis cum ه coniunctum eique superpositum. Pro ا enim vt habeas, vocis forma requirit *).

7) De hoc vocabulo, quod vocem ليلة sequitur, prorsus desperandum esse putabam, quum collega coniunctissimus Ewald, quocum hanc quoque inscriptionem communicaueram, ingeniose coniiceret esse illud nihil nisi

*) etiam in vocibus جمادي الاخرة insolita est literarum connexio.

ductus otiosos, repetitos partim e voce praecedente, explendae lineae, quod vocabulum sequens quinque literarum latiorum loci angustia non caperet. Mihi etiam arridet haec coniectura, quam tamen cúperem similibus exemplis comprobari posse. Ductus istos vtcunque legas, ليلتا ليليا ليلنا — sensu carere mihi persuasum est.

8) احدا haud dubie pro forma feminina احدي scriptum, similis soni causa, femininum enim poscit sequens عشرة, quae vox ita scripta visitur, vt pro ا habeas, sed similis formae et moduli ة finale infra recurrit in مائة vocabulo. Haec igitur satis certa; sequitur

9) vox valde incerta et lectu difficilis; priores literae ليل offerunt, vnde doctiss. Ewald putabat ليلة legendum esse, quam vocem hic repeti, vt Hebraei temporis vocabulum aliquando in numerando bis ponunt v. c. Genes. VII. בשנת שש מאות שנה anno sexcentesimo. Leuit. XXV. 10. 11. שנת החמשים שנה annus quinquagesimus; sic nostro loco ليلة احدي عشرة ليلة ا de vna atque eadem nocte intelligendum repetita voce ليلة. Loquendi formulam scriptoribus arabicis non vsitatam, fortasse in sermone vulgari obtinuisse. Cui coniecturae ingeniosae lubens adsentirer, nisi obstare viderentur literae extremae ductus, ة finali, quale in inscriptione nostra pluries occurrit plane diuergens. Putauerim igitur in hoc vocabulo aliud latere, quod tamen sensum loci non interpellat.

Haec de lectione inscriptionis difficilis, restat vt interpretationem paucis illustremus.

a) Nox memoratur, quia Arabes a nocte diem incipiunt, est igitur idem quod nos dicimus *die.*

b) *residua s. restante,* spectat hoc ad singularem diei notationem apud Arabes. Scilicet vt Graeci in III partes s. decades mensem diuidunt *ἱσταμένου, μεσοῦντος* et *φθίνοντος* s. *παυομένου*, sic Arabes in duas, medium facientes diem mensis quintum decimum, primae partis dies singulos notant addito خَلَوْنَ aut خَلَتْ praeterit, posteris partis a. d. inde XVI. mensis addunt, بَقِيَتْ (quae) restat. Accurate, vt solet, haec exposuit ill. de Sacy, in Grammaticae Arab. Vol. II. §. 471. p. 271 sqq. Liberius tamen vulgus

locutum esse nec semper grammaticorum regulas obseruasse docet nostra inscriptio. Quum enim secundum regulam τὸ بقيت diei XVI. demum addatur, hic cum die XI. componitur, adeoque notatur dies XI. ante finem mensis. Iam cum Gjomadi posterior ad menses cauos s. XXIX. dierum pertineat, dies XI. ante vltimum mensis est dies XVIII. Porro cum annus fugae 437 d. 18. Iulii anni Chr. 1045. coeperit, si ad hunc computum reducere velis, prodit, dies X. mensis Decembris. Est enim d. XVIII. Gjomadi posterioris anni Muhammedani dies CXLVI. qui numerus si a die inde 18. Iulii numeres, cum X. Decembri conuenit.

c) Gjomadi mensis nomen hic feminino genere ponitur, quo etiam est apud Ferganensem Elem. Astronom. ed. Golii p. 1. Caeterum incertus sum in lectione huius vocabuli, vtrum ل aut ب praefixum gerat. Solitus loquendi vsus fuisset من جمادي litera praefixa formam vtique habet τῆς لِ sed cum sculptor noster literas quoque breuiores ف et ب eadem longitudine format, vt hac ipsa linea in سبع et سنة, et in voce proxime praecedenti ب simillima forma et modulo compareat, eodem iure ب legas. Erit igitur nox XI. in Gjomadi altero, quod idem est ac si مِن posuisset.

d) diem iudicii extremi in Corano occursum لقاء adpellari, quod omnes coram Deo iudice comparituri sint, notum est; vid. Coran. Sur. 32. 11 etc. يوم لقاء idem est quod S. 40. 16. يوم التلاق in lapide post ا flexuram addidit sculptor, fortasse ad indicandum ي s. sonum i, qui in fine subauditur.

e) Vltima inscriptionis verba vtcumque interpretatus sum, sunt enim sane obscura. دلين ad دلّ monstrauit, indicauit resero, vt sit particip. s. nomen agentis primae formae, hoc vtique esse debebat دالين. Putes ا omissum propter similem figuram literae sequentis ل. — من في دالين quis est inter indicantes idem valere videtur, ac: quis indicabit, quis nouit.

Apparet igitur epitaphium nostrum spectare ad Abdallam quendam, qui quis fuerit, nulla nota nisi genealogica indicatur. Elegantia tamen et lapidis et sculpturae indicat non e vulgo hominem, sed inlignem et diuitem. Quum porro annum praeferat 437 (Chr. 1045), viuere debuit Abdalla noster eo tempore, quo Hamuditae principes ex Edrisidarum genere ex Africa egressi Hispaniam inuasere et Corduba potiti sunt *). Potuit igitur Abdalla, vt fieri solet in imperii mutationibus, arcem, quam adhuc praefectus tenuerat, occupare et dominio tenere. Lapis sepulcralis super porta loco conspicuo positus, videtur sepulcri locum indicare. Nec enim veri simile, Christianos

*) extat Numus Cordubae cusus a. 440. Mohammedis, septimi huius dynastiae principis, in Numbophylacio Ac. Petrop. v. Fraehn recens. p. 4 ***. Adde Casiri lib. arab. hisp. Escur. II. 211.

arce in sacellum mutata epitaphium istud, quod parum curarent, eo loco reposuisse. Putauerim igitur lapidem locum non mutasse atque Abdallam in arce sua sepulcrum sibi fieri voluisse.

Quas adhuc memoraui inscriptiones ad historiam Arabum in Hispania spectant et momentum aliquod historicum continent, quae sequuntur ad ornamenta architectonica pertinent. Amant enim orientales populi religiosis sententiis plerumque e Corano ductis aulas et aedes, portas, parietes exornare, quum imagines et picturas vetet Coranus, has autem sententias artificiosis ductibus pingunt aut caelant, vt picturarum locum quodammodo expleant.

V. Inscriptio in aula domus alicuius in vrbe Toleti, capitibus trabium supposita, est illa sculpta literis extantibus tabulae pineae spithamam altae, scriptura eleganti. Imaginem, quam vobis exhibeo, AA., delineauit scribendi artifex Palomares, qui hanc notam subscripsit Hispanice: Letras arabigas de forma elegante talladas de medio relieve que forman un friso agradable el rededor del patio de una casa sita cerca del convento de Trinitarios calzados de Toledo el referido friso sirve de Solera a las cabezas de las Vigas de los corredores. La inscripcion se reduce a una breve Oracion continuada, la copio fielmente — Franc. Xavier de Santiago Palomares. Literae sunt flavo colore in fundo griseo, quod an in archetypo similiter sit, ignoro

Continet formulam: الملك لله الملك لله العزّة
لله الملك لله الملك لله ا

Deo est regnum, Deo est imperium, Deo est gloria, Deo est regnum, Deo est imperium. Litera ا in fine addita indicat haec verba repetita fuisse esse pluries, donec omnis ambitus parietis expletus esset.

VI. Similes inscriptiones duae e palatio Hispalensi Alcazar de Sevilla. Harum maior fasciae instar inferiori parti parietis inscripta est. Verba continet

الملك الدايم لله العز القايم لله

Regnum aeternum Deo, gloria sempiterna Deo.

Mirum, in initio harum vocum لل constanter scriptum esse pro ال articuli.

Breuior portae coenaculi interioris inscripta est

Extremi ductus sunt initium eiusdem formulae explendo spatio repetitio

الملك الدايم الما

Regnum aeternum.

Has delineandas duxi quoniam eadem magnitudine literarum scripta erant, qua in palatio visuntur. Sunt autem illae in priore sex digitos altae, in altera paullo minores, in Tabula contractae comparent, quippe satis videbatur, formae speciem exhibere.

---

p. 124 lin. 14 lege: dele vocem Bilnana



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000019

Tab. I





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000021



Tab. II.



Tab. II.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000024



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000025



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000026

Tab. III



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000027

Tab. III



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000028



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000029



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000030



V VI b. VI a.



V VI.b. VI.a



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000033



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000034

ULB Halle
001 065 05X
3/1
Nur für den Lesesaal

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-12335/fragment/page=00000035